

1439
*Paris Ludronus ad
 Sarcam fluvium pro-
 sperè in ho-
 stes pugnat,*

Italus & ipse ad duo millia agrestium ex Mantuanis & Gibellinæ factionis Brixienfibus collegerat. Cum his, atque eo peditum numero, quem secum ab initio duxerat, sexcentisque equitibus, Sarca fluvio ponte, qui in Romanii finibus est, superato, in hostem ibat: cœperatque Italus proximos montes ascendere, dum Paris per occultas valles insinuatus ex improvise præsidium, quod ille ad pontem reliquerat, adoritur: injectoque hostibus pavore, eadem momento temporis edidit ingentem; multi occisione occisi, in quibus Itali filius, & Petrus Capocius, Polonus, Tridentinarum cohortium ductor, occubuerunt. Adest interim Italus, sive clamore, sive cladis nuncio excitus: eum velut torrentem quendam montibus dejectum Paris fortiter excipit, exceptumque non solum sustinet, sed æquata pugna, atroci prælio fatigat. Tribus horis cruento erat Marte dimicatum; quum Italus, qua proximum fuit, se in altiora loca recepit. Carpit victor Paris extremum agmen, ac nisi noctis umbra cedentem protexisset, ingentem omnino cladem accepisset hostis. Postero die orta luce, Paris suos in hostem ferociter immittit; & jam in ipsos montes cœperat dirigere aciem, dum hostis pudore victus in pugnam redit. Hic quoque aliquanto atrocius prælium quam pridie commissum: multi ex hostibus prius occisi sunt, quam fugam ullam fecerint: victa tandem eorum pertinacia, terga vertunt. Agit solutos ordines Ludronius victor, ingentemque agrestium cætos Guelphi auxiliares edunt: multos obtruncant, multos item capiunt: venerunt in victorum manus ex hostibus, mille vivi, totidemque desiderati. Italus, perditis rebus, per asperos montes Ripam oppidum petiit: quo postea trecenti equites diversis itineribus, ac pedites mille fuga dilapsi pervenerunt. Audita suorum clade, Picininus, accersitis qui circa Brixiam in hybernis erant, per Sabiorum vallem, perque aspera montium juga præcipiti agmine Ludronium venit: quod acri obsidione adortus, quindecimo die ex quo locum cœperat oppugnare, in suam potestatem redegit. Admota deinde ad Romanium castra,

nam